



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Damnatus eques aurat[us] ad mortem, prouocat ad Iudicem supremum,  
& post se trahit damnatorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

*Cap. XXXIX. Metuendum esse iustè ad Dei iudicium citatis.* 387

obliuiscitur tamen impiorum , quos s̄aþe, in terris, s̄aþe etiam in futuro seculo, plectit. Hoc iudicium , altè cordi imprimite , ô fratres , inter quos s̄aþe æmulatio parit dissensionem , dissensio exitium ; sicut & concordia incrementum. Siquidem , vt Poëta cecinie:

*Non caret effectu , quod voluere duo.*

Addo huic Duci alterum Ducem, non iam cum fratre , sed cum hoste , immittiùs agentem. Genuensium triremes, è Liguria, aduersus piratas, emissæ , biremem Gothloanam ceperunt aliquando. Ibi victoriā insolentes, gubernatorem biremis, extra Drepanum , in ignominiam Siculorum Gotholanorūmque , nocturno tempore, in furcam suspenderunt. Ille, vt vitam conseruat, ad preces se dimisit ; excusationes obtendit , nihil vñquam se Genuensibus nocuisse , protestatus. Omnia frustra. Ut ergo tandem intellexit , plus odium gentis , quām æquitatem , apud Genuensem trierarchum , valere, iusserit illum, se sequi, atq; intra sexum mensē, ante diuinum tribunal, comparere, vt inhumanitas tantæ rationem redderet. Audijt Deus vocantem ; & conditio tempore , Ligus diem iudiciumque suum , obiit. Scilicet neq; in hostem est Lemnia manu saeuendum ; qui etiam victus ab homine, vt homo, est tractandus .

Addo & tertium Ducem. Nam auctor est Ioannes Pauli , Rudolphum Austricæ Principem , Equitem Auratum damnasse vt culleo insutus mergeretur ; Equitem autem , conspecto Duce, exclamasse : *Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal, intra annum te voco ; cui ille, cum sarcasmo , irridens responderit : Benè, præto; ego tum adero.* Vertente anno , Dux in febrim incidens appellationis recordatus, seruos affatus dixit: *Tempus mortis meæ instat, & ad iudicium eundum.* Dixit. & vixit. ostenditque , in hac curia , etiam sine vadimorio , non irritam esse vadationem .

Suppetunt & Regum exempla , quibus docetur, innocentum citationes s̄epissime non esse irritas. Tradunt Ritius & Mariana, Ferdinandum III. Legionis & Castellæ regem mandasse , vt duo è Caruajaliorum familia, fratres Petrus & Ioannes, ambo nobiles, inauditi, tanquam perduellionis rei, & ob meram suspicionem , è turri, vel rupe formidandæ altitudinis, præcipites iacerentur. Hi duo neq; testibus, neq; alijs probationibus conuicti, obiectum crimen constanter negauerunt. Sed quia nihil effecerunt

Ccc 2 negan-

IV.

Fulgos. I. I.  
c. 6.

V.

Ritius l. 3 de  
regib. Hisp.  
Mariana in  
Hisp. Annal.  
lib. 15. c. 11.

VI.